
730



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nonâ menſis Martii, anno Domini M. DCC. LXXII.

M. DIONYSIO PAUTIER DE LABREUILLE,

Medico Primario SS. Delphini & Delphinæ dùm viverent, & nùnc Comitiſſæ Gallo-Provinciæ, Doctore Medico, Præſide.

An diſtorſionibus emollientia, relaxantia, anodina?

I.



VEL à longo tempore dicata, uſquè nùnc ab omnibus celebrata methodus necquicquam proſcribenda eſt, ſin ratiocinio aſſeratur experientiâque comprobetur. Diſtorſio primis momentis vix ulla prodit ſymptomata, quæ funeſtum prænuntient : quàm verò pediſſequa & adventitia ſæpiùs exurgunt ſæva, quæ ægro ipsâ luxatione completâ fracturâve ſunt moleſtiora ! Diſtorto enim articulo ut plurimùm videre eſt in aliis tardam, difficilem, dolorificam arti-

culationis functionem ; in aliis ingratam claudicationem ; alii abscessus, cariem, pejora patiuntur mala ; aliorum artus consumit atrophia ; vel deficientibus, vel vitiatis succis, mumiæ instar, exsiccatur articulatio & motu suo crepitum dat ; redundantibus spissioribusque oritur ankylosis. Hic ars anbidextra decantatam malè creparet sententiam citò, tutò & jucundè ; ex eò quòd post mancam sanationem novis artus cruciantur doloribus quâvis aeris vicissitudine, adeò ut libenter barometra viventia illos diceres. Ut verò ars quæcumque perfectioni scopum attingat, suam quisque conferre debet symbolum, quisque proprio marte propugnare facem præferentibus ratiocinio & experientiâ. Infaustæ usquè nùnc methodi vitium insectare suscipimus ; quàmque noceant repercussiva, resolutiva, remediorum rudem & indigestam præscriptionem demonstrare : tutiora promptioraque arma mutuari evincemus à relaxantibus, emollientibus, anodinis ; quibus infestissimam superare dabitur distorsionem. Quantâ solertiâ, quantâ sagacitate partium naturam secùm reputare debet chirurgus ne scilicet inutili & præposterâ, imò noxiâ medicamentorum applicatione adaugeat symptomata ! Sin minùs inani spe luditur æger. Felices ! si aliquantulam praxi chirurgicæ lucem inducamus.

I I.

DISTORSIONEM dicunt subitam articulationis ultrà modum extensionem à vi externâ & quasi intorquendo factam : distrahuntur ligamenta, tendines, vasa, periosteum, nervi. Levis est aut gravis distorsio, recens aut vetusta : sæpiùs in articulo pluribus ossibus conflato notatur, v. g. pede, manu, aliquoties dorso & collo ; quod numerosioribus alligatur & continetur ligamentis. Causæ prædisponentes habeantur infirma vel crassior corporis constitutio ; ligamentorum debilitas à serosâ colluvie oriunda, habitatio in loco humido, in mulieribus tempus graviditatis, ubi æquilibrium ultimis præsertim mensibus amittitur, virus scrophulosum & venereum ; in juniori ætate sexu sequiori, partes solidas molliores esse & faciliùs distrahi posse omnibus notum est. Causæ omnes quæ luxationem vi inferre possunt, si minoris sint intensitatis, distorsionem aut diastasim producunt : ictus, lapsus, nisus vehementior, inæquali loco incessus, non firma & æqua applicatio pedis gradiendo, currendo, saltando, articulationis cujuscumque subita & vehemens actio. Symptomata sunt dolor, impotentia motûs, tensio, tumor & inflammatio, sæpissimè illis subsequentibus (ut jam diximus) abscessu, carie, atrophiâ & ankylosi. Eò graviora timenda sunt symptomata, quò breviora, strictiora ac proindè elongari minùs patientia ligamenta. Dolor in primo instanti oritur à distractione ligamentorum, tendinum, vasorum sanguineorum, nervorum, eorum dimotione, à periosteo quod illo in loco ubì ligamenta oriuntur ab osse secedere & suprà ligamenta pergere ex anatomiâ constat, illa verò non possunt distrahi quin simùl trahatur periosteum incumbens quod acutissimo sensu donatur. Dolor si absit, sæpiùs accersitur motu, extravasione fluidorum, tumefactione ; motus enim irritationem adauget, major crispatio vasa comprimit, undè sanguinis suspensa circulatio, tumor, rubor ; contusione fibræ non paucæ rumpuntur, stillat humor

contentus, ſuccorum articulationes, tendines inungentium fit expanſio : nervi contuſi modò cruciatus diros, convulſionem pariunt; modò partium ſubjectarum torporem, inſenſibilitatem, paralyſim, atrophiam : vaſis ſanguiferis ruptis naſcitur ecchymoſis ; ſi alba vaſa, tumor albus ; ſuccus accumulatus ſpiceſcit, concreſcit, oſſa coadunat ; vitiatus cartilagines, oſſa corrodit, fiſtulas procreat. Febris accenditur inflammationis comes indivulſa. Illa verò pejora accidentia ab empiricâ methodo oriri nùnc probandum.

I I I.

CONTRARIA contrariis curantur : vetus adagium in hocce morbo oblivione deletum. Ligamenta fibris albis, duris, elaſticis, ſtrictis contexuntur; vaſa alba & nervoſa hæc irrigant, humore illiniuntur inſipido pellucido, viſcoſo qui vaſis funditur & reſorbitur. Iis in partibus irritatio vehementem creat inflammationem ſtadia velociùs percurrentem quæ peſſima minitatur. Illa eſt genuina veràque indicatio : dolor ſedandus, tenſio imminuenda, inflammatio compeſcenda, tumor emolliendus poſteàque reſolvendus. An ratio ſuadebit immerſionem partis in aquam frigidiſſimam, lotiones aſtringentes, ſpirituoſas, aromaticas, cataplaſmata reſolutiva, repercuſſiva, faſcias ſtrictas ? Hiſce mediis nedùm accidentibus medeatur, nova imò conciliantur : aquæ applicatio non innocens mulieribus, catharroſis, pulmonicis, perſpirationem, ſudorem ſupprimere poteſt : reſolutiva & aſtringentia ſanguinem actione ſuâ exagitant, humores inſpiſſant lubricandis ſuperficiebus inhabiles; ſpirituoſa, aromatica calorem adaugendo inflammationem excitant, rorem amicum diſſlant, undè ſiccitas articulationis, ad concretionem proclivitas : ſtricta faſciarum applicatio partem dolentem irritat & tumefactioni favet : quis non ſentiat hanc-ce methodum ægri tortorem eſſe sìc & chirurgi dedecus ?

I V.

EMOLLIENTIA, relaxantia, anodina, narcotica, principiis ſuis aquoſis, viſcoſis & mucilaginoſis fibrarum tenſionem, tonum imminuunt; fluidorum impetum reprimunt, dolorem ſedant, undè ſanguini conciliatur facilior circuitus, ſtaſes præcaventur ; ſi adſint, humor fluidior redditur, vaſa vicina laxantur, fit reſolutio reſorptioque ; imò hâc methodo arcetur tumefactio, inflammatio, tenſio, dolor & impotentia. Multiplici modo applicari poſſunt ſuprà dicta remedia, balneis, inſperſionibus, fomentis, cataplaſmatibus præſertìm quæ anteponenda cenſemus, conſtans enim & continua remedii applicatio partem intimiùs penetrat, quibus adjunctis quiete, ſitu, venæ-ſectionibus, diætâ, enematibus vel graviores diſtorſiones ſanabuntur. Experientiâ fretus : dùm celeriter gradiebar pedem in caveam immiſi, undè diſtorſio gravis, ligamenta quibus retinetur malleolus exterior diſtenſionem perpeſſa ſunt vehementiſſimam, muſculi extenſores digitorum pede internè torto ne minimum motum reddere poterant præ dolore truci. Domi tranſlatus lectoque accumbens, ſanguinis miſſionem, cataplaſmata aquæ communis cum micâ panis adhibui; neque tumorem, neque tenſionem notandam viſus detexit tactuſ-ve; poſtridiè, dolore im-

minuto jam motum aliquem pes exercebat: quatuor diebus elapsis hâc methodo adhibitâ, omnis dolor evanuit & negotia suscipere alacer potui & expeditus. Propriâ edoctus experientiâ ea media aut collimantia pluriès adhibui felicemque obtinui eventum. Dolore verò, tensione & inflammatione imminutis, fugatis ad astringentia, resolutiva transeas & aromatica: curationem sic feliciùs absolves.

V.

VIM suam distorsione amittere ligamenta dicet aliquis. Forsàn nisus momentaneus eorum robur minuere, elasticitatem infringere valet? Objicies usum remediorum quem respuimus distorsiones sanavisse. Ecquidem fatemur hoc levis distorsionis sic & recentis curationem absolvi posse, reipsâ absolvere; si è contrà graves, non multis diebus, non uno mense, sed pluribus consumptis doloresque identidem per multos annos ægrum cruciant; nec raro tumor, rubor hos comitantur adeò ut podagram sæpissimè mentiantur. Instabis laudata remedia nocere phlegmaticis, cachecticis, mulieribus, atoniam secùm afferre undè tumor œdematosus; his positis parcè quidèm adhibenda; inflammatione doloreque sedatis ad tonica confugiendum.

Ergò distorsionibus emollientia, relaxantia, anodina.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Armandus ROUSSIN DE MONTABOURG.

M. Guillelmus FUMÉE.

M. Natalis-Maria DE GEVIGLAND, *Regiorum in Germaniâ Ducum & Militum Nosocomiorum nupèr Medicus, Gallico idiomate Chirurgiæ Professor.*

M. Natalis-Nicolaus MALLET.

M. Marinus-Jacobus-Clarus ROBERT, *S. Ducis Bipontini Archiater necnon à Consiliis & Secretis.*

M. Franciscus David HERISSANT, *Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinensis Socius.*

M. Franciscus-Ludovicus THOMAS D'ONGLÉE.

M. Maximilianus-Josephus LEYS.

M. Carolus-Franciscus BOUTIGNY DESPREAUX.

Proponebat Parisiis JOSEPHUS COTTON, Gratianopolitanus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author.
A. R. S. H. 1772. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis *Quillau*, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi 1772.